



Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

29. Decollatio S. Joannis Baptistæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

XXIX. Augusti. Decollat. S. Joan. Bapt. 507
converti ad Dominum. Dilecte! Finis
coronat opus, & ad apicem evehit sum-
mæ perfectionis. Fuimus ut novitii in
conversione; vivamus modò, ut pro-
fessi in omni sanctitate, & justitia. Ita
jubet virtus regia, Christiana constantia.

Instructio meritoria.

Id ipsum ut nobis, & omnibus SS. P.
Augustini religiosis filiis eò certius obti-
neamus, opera, & omnia devotionis
exercitia hodiernæ diei offeramus pro
magno spiritu, fervore, & insigni emo-
lumento celebratissimæ familiæ Augusti-
nianæ. Operibus jungamus preces, pie-
tati *Litanias de omnibus Sanctis*. Au-
diemus ex ore tanti Patris, & Fundatoris.
Quod uni ex meis fecistis, mihi fecistis.

Festum Decollationis S. Joannis
Baptistæ.

EXHORTATIUNCULA I.

Veritatem qui amat, hominum fa-
vores, & respectum non curat.
S. Joannes liberè Herodem aggreditur
increpans in faciem illius impudentiam,
& illud objiciens: *Non licet! Non licet*

508 XXIX. Augusti. Decollat. S. Joan. Bapt.
uxorem habere fratri. O fili mi! Non
damnabimus assentationis vitium? Non
blanditiis, & adulatio[n]ibus renuntiabi-
mus? Fera pessima adulator omnis. Et
hic inveniri in domo Dei?

Instructio meritoria.

O quām verum illud Davidis effe-
tum : *Omnis homo mendax*, qui adu-
lationis studiosissimus. Hinc tot, &
tanta mendacia in sēculo ! O ignobile
vivendi genus ! Eheu ! Chare fili ! Nec
nos ad dō innocentēs hīc fuimus ! Emen-
dabimus nos, in specie ad S. Tribunal
nos accusandō de omnibus mendaciis,
frivolis blanditiis, & politicis adulatio-
nibus. Pro pœnitentia quindecim Pa-
ter & Ave dicamus cum 30. osculis ter-
ræ. Luat lingua ! Graviora meruit.

II.

O Torturam animæ, malam con-
scientiam ! Impius Herodes quo-
quò se contulit ; aut, ubi ubi humana so-
latia quæsivit, amputatum S. Joannis, &
quasi sibi ubique obvium gloriosi Mar-
tyris Caput vidi, & increpans audivit.

No



XXIX. Augusti. Decollat. S. Joan. Bapt. 509

*Non licet! Non licet! Beatum, quem
sua non accusat, & damnat conscientia!*

Instructio meritoria.

Ne offendamus, aut perdamus thesau-
rum tranquillæ mentis, binâ per hebdo-
madem confessione eluamus contractas
maculas; imò post lapsum quemcum-
que provolvamur in genua, de peccato
doleamus sine mora, & seriam morum,
& vitæ spondeamus emendationem.
Pro conservanda conscientiæ pace, &
puritate persolvamus *Officium minus de
Immaculata Conceptione.* In hoc spe-
culo omne gaudium, pax, & tranquilli-
tas summa. Inspice, & intemeratam
vitam dilige.

III.

Occiditur S. Joannes, ut æternū
viveret. O quām bene moritur
(ait S. Petrus Dam.) qui moriendō ori-
tur! Quām feliciter temporalem vitam
finic, qui vivere perpetualiter incipit.
Discemus bene vivere? Sequetur & bea-
tè, ac gloriosè mori. Unum provocat
alterum: Sanctitas vitæ gloriam mor-
tis.

V 3

In-

510 XXX. Augusti. S. Rosæ Limanæ.

Inſtruētio meritoria.

Nunquam ibimus in lectum, niſi de-
poſitō priūs mortis testamentō in devo-
tis libellis facile inveniendo. Praxis hæc
ſi fuerit constans, quām ſuavem, & qui-
cum ſomnum impetrabit à nobis? Gu-
ſtabimus tunc, quando guſtaſſe ater-
nūm proderit. Pro beata, & ſerena
morte pro nobis iſpis latentes in templo
commendationem animæ quām arden-
tissimè persolvamus. Tela præviſa mi-
nūs feriunt.

Festum S. Rosæ Limanæ ex ter-
tio Ordine S. P. Dominici.

EXHORTATIUNCULA I.

Ecce novi orbis florem nobilem! O
quem ſanctitatis, Christianæ perfe-
ctionis, & innocentiae odorem non ſpar-
ferat in patria hæc Virgo! Ideò & ab ipſa
Cœlitum Regina nominata eſt *Rosa* ob-
iſſolitam morum ſanctimoniam, & ſua-
vitatem. Chare fili! Hortus eſt mun-
dus. Nos Rosæ, & floſculi! Attenda-
mus, ne ſine odore virtutis.

